

net faciem suam super uos. & miseretur uestri. conuertat uultum suum super uos. & det uobis pacem. Quod ipse prestare dignetur. qui uos de limo terre formauit. & precioso sanguine suo redemit. cuius potestas permanet in secula seculorum. Amen. Haec saltem Sec. XIII.

CCCXCVI.

R. 3172

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 177. f. per duas columnas litera atra, grandi pulcre perscriptus et minio distinctus aliud est *Dialogorum Gregorii* Exemplar praemisso IV. *Librorum Capitulari* ab hac Nota incipiente: *Dialogus cum mixto stilo compositus est*; id, quod de alternante *Gregorio* et *Petro* intelligendum puto. Lectio proba est; sunt tamen, quae differant. Ita pro superiore: *nec tamen se perdidisse meminerit*, habes *et tamen*, ita etiam *nauigauimus* pro *navigamus* &c. Ad calcem minio notatur: *Post hunc librum legitur ad collationem visiones clairuallensium*, unde Codicem a Coenobio *Novimontano* (vulgo *Neubergen*) Ord. Cist. ad nos delatum conjectura est. Quid vero nomine *Visionum Claraevallensium* veniat, adhuc quaero.

CCCXCVII.

R. 70

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 133. 8. probe scriptus, rubricis enotatus, et antea *monachorum congregationis sancte*

Justine deputatus in monasterio *sancti Seuerini et Sossii* de neapoli, ut habes p. 1. hunc titulum miniatum praefert: *Incipiunt capitula libri primi dialogorum Sancti gregorii pape urbis rome de miraculis patrum italicorum*. Initium Libri ipsius: *Quadam die nimis quorundam secularium tumultibus depressus* &c. Exemplum sat emendate scriptum quaedam tamen paullo aliter legit, quam Edita T. II. *Opp. Gregorii Paris. 1705. col. 149. f.* Ita in Prologo: *in amicitiiis astrictus pro amicitiiis obstrictus. Excoqui cordis merore pro languore. Ex condescensione multorum pro pro condescensione* &c. quae ibi inter variantes adnotata non sunt.

II. fol. 132. adhaerent Quaestiones liturgicae X. sequentes: *Quare a V. Feria usque ad sabbatum sanctum altaria sunt nuda? Quare in VI. Feria crucifixus est dominus? Quare non adoratur asina suae cetera talia quae dominus tetigit, ut crux? Quare in parasceue pax domini non datur? Quare in sabbato sancto officium celebratur in nocte? Quare clamante uoce sacerdotis ut descendat uirtus spiritus sancti in aquam deponuntur cerei? Quare III. dies sunt in unoquoque ieiunio? Quare in quarta et VI. et VII. Feria eadem ieiunia celebrantur? Cum IV. ieiunia IV. tempora anni recolunt, quare aguntur in primo mense et in quarto et in septimo et in decimo, cum principia IV. temporum non sint in his? Quare hi qui ad ordines accedunt consecrantur tantummodo in his IV. temporibus?*